



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv  
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

**Ricci, Bartolomeo**

**Mogvntiæ, 1605**

1 De variis generib. verborum in meditatione expendendis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)



## TRACTATUS III.

DE MODO EXERCENDI INTELLECTVM  
circa verba.

*De variis generibus verborum in meditatione expendendis.*

## CAPVT I.

**V**ERBORVM nomine intelligimus non illa modo quæ ab Evangelista scripta sunt, sed etiam quæ à personis Meditationi interuenientibus proferuntur. Quæ omnia diuidi queunt generatim in declinabilia, & indeclinabilia. Inter declinabilia sufficit nobis Nomen & Verbum, de quibus duobus capitibus sequentibus agemus. De indeclinabilibus autem in quarto.

Nec debet pius Lector contemnere has minutias, cum nec B. Basil, libro primo de Spiritu sancto eas contemnat, sed potius magni

magni faciat: nam non minus nobis seruiret hic instituto nostro, quam ibi ipsius. Sanctus autem ille, postquam dixisset perfectionem nostram confutere in quadam cum Domino Deo, quoad fieri potest, assimilatione, & deinde addidisset, ad eam similitudinem non posse nos pertingere, antequam aliquam DEI notitiam, (quæ ordinariè ex diuina scriptura haurienda) consequamur, mox subiungit, idcirco in scripturis non sententias tantum, sed etiam singulas uoculas, imo syllabas nobis esse rimandas. *Nobis, inquit, prescriptum est, ut similes efficiamur Deo, quatenus humana natura fas est. Porro similitudo non est absque cognitione. Cognitione uero doctrina paratur. Doctrina autem inueniuntur oratio. Orationis partes dictiones & syllaba. Proinde syllabas excutere, non est aberrare à scopo*

SED nec pudor vel motus, ne irrideamur ab aliis, nos ab hoc studio deterrere debet. *Quod si quis ridet, inquit idem, nostram circa syllabas, ut Psalmi uerbis utar, nugacitatem, ipse quidem insuperum sui risus fructum metat: nos uero haud unquam cedentes, hominum contumeliis, nec illorum contumeliose delectis & stigandi studium deseremus. Tantum*

L enim

enim abest, & me harum minutiarum pudeat, & si dignitatis vel minimam partem assequar, mihi gratulaturus sim, & veluti res maximas affecuta.

De exercitio intellectus circa  
Nomina.

CAPVT II.

**O**MISSIS superfluis Nominum diuisionibus, & declaratione nominum priorum, de quibus supra actum est, tantum breuiter agam de reliquis, initio facto ab Appellatiuis, quæ significant officium, vel aliam proprietatem congruentem personæ. Inter ea est, nomen AMICI, quo Christus appellauit in horto IUDAM proditorem suum, dicens. AMICE ad quid Venisti? Vnde colligitur Christum tanto mortis arsisse desiderio, vt benefactoris loco haberet eum, qui eam procuraret. Et quoniã beneficia recipi solent ab amicis. bonus Iesus Iudam, vt potè suæ mortis procuratorem, amici loco habebat. S. Bernardus scribens in Cantica obseruauit sponsã saepe sponsum suum appellare nomine DILECTI, ac inde colligit, illud eã fecisse sui erga eum amoris, quem pectori inclusum habebat, declarandi causa. Dilectio enim est actus Voluntatis.

D &